

sitiet in æternum; sed aqua quam ego dabo ei, fiet in eo fons aquæ, salientis in vitam æternam; Ad Rom. 8. v. 30. Quos justificavit, illos et glorificavit; ergo.

R. N. A., de quo TRID. Sess. 7. can. 6. sic enuntiat: *Si quis dixerit, baptismatum non posse gratiam amittere, anathema sit.*

Ad hujus prob. N. Cons. Nam prioris textus promissio continet tacitam conditionem, si homo justificatus præstando reliqua et observando mandata Deum non deseruerit, ideoque Christus hæc promittens apud Matth. c. 28. v. 20. præmiserat: *Docentes eos servare omnia, quæcumque mandavi vobis.* Textus alter, nisi cum Auc. Tr. 15. in Joann. n. 16. referatur ad beatitudinem, similiter exponendus est *conditionate*, nimirum si fons aquæ in vitam æternam salientis non deseratur; quod tamen non raro fieri declaravit Dominus per Jeremiam c. 17. v. 13. *Dereliquerunt venam aquarum viventium Dominum.* Postremus denique non agit de justis quibuscumque, sed *prædestinatis*, ut patet integro textu sæpius jam recitato; de quibus certum est, gratiam in perpetuum non admitti, quin tamen inde sequatur idem dicendum esse de reliquis omnibus, ob manifestum discrimen.

Inst. 6. Justus per gratiam et merita consequitur jus ad gloriam; ergo, cum ex ep. ad Hebr. 6. v. 10. *Non injustus Deus, ut obliviscatur operis vestri;* in perpetuum non frustrabitur gloria, tanquam objecto hujus juris.

R. D. A. Consequitur jus absolutum, vel ad gloriam jam statim, et sine alterius conditionis impletione consequendam N. jus conditionatum vel ad gloriam, non tamen sine impleta conditione consequendam C. Universalis conditio ad obtinendam gloriam sive ut *hereditatem*, sive ut *coronam* requisita declaratur a Christo Matth. 10. v. 22. *Qui perseveraverit usque ad finem, hic salvus erit.*

Præterea totum illud jus fundatur in gratia, et gloria non est promissa nisi *justis et Dei filiis*, hujus gloriæ capacibus: qui ergo a se ipso gratiam sponte abjicit, et exiit filiationem, nec recuperat per pœnitentiam; nec capax est gloriæ, nec illius negationem Deo, sed sibi imputare debet; cum Deus ex justitia non teneatur incapacem gloriæ et juris sui dissipatorem remunerare, aut ad agendam pœnitentiam cogere. Si tamen homo gratiam conservet, aut eam pœnitendo recuperet, ad Dei justitiam pertinet, jus illud homini conservare aut reddere, et tandem gloriam tribuere; præter quod aliud nihil in textu Apostoli ad Hebr. asseritur.

Inst. 7. Nec *prædestinatus* perpetuo potest carere gratia, ut per se patet: nec *reprobus*; quia hic nunquam vere est justus, adeoque nec justitiam amittere potest: cum, sicut *prædestinatus* est justus, sic et *reprobus* est injustus, eo quod eadem debeat esse contrariorum ratio.

R. 1<sup>o</sup>. N. 1<sup>am</sup>. p. A.; quia licet *prædestinatus* reipsa gratiam non sit perpetuo amissurus, antecedenter tamen potest illam in perpetuum amittere, quia libere eandem retinet, et libertatem humanam nec præscientia Dei, nec prædestinatio subvertit.

R. 2<sup>o</sup>. N. 2<sup>am</sup>. p. A. ejusque prob. inverto pro nobis: *Prædestinatus* toto vitæ suæ tempore non debet esse justus, ut patet in S. Paulo *prædestinato*, et antecedenter tamen ex propria et repetita confessione gravi peccatore; ergo nec *reprobus* semper debet esse injustus.

Utriusque ratio est; tum quia justitia non constituitur per *prædestinationem*, nec injustitia per reprobationem, sed utraque hanc et illam ante-

cedit: tum quia, ut homo sit *prædestinatus* vel *reprobus*, satis est, quod ille in gratia, hic in peccato moriturus præsciatur, licet priori tempore aliquandiu injustus fuerit aut justus.

432. Dico III. Nemo, seclusa speciali revelatione, debet aut potest habere certitudinem fidei de propria justitia. Est de *fide*, et constat ex TRID. Sess. 6. tum c. 9. tum can. 13. et 14.

Prob. 1<sup>o</sup>. p. I. AUCTORITATE. 1<sup>o</sup>. Scriptura ait, Eccl. 9. v. 4. *Sunt justi atque sapientes, et opera eorum in manu Dei: et tamen nescit homo, utrum odio vel amore dignus sit; sed omnia in futurum servantur incerta;* Prov. 20. v. 9. *Quis potest dicere, mundum est cor meum, purus sum a peccato;* Eccl. 5. v. 3. *De propitiato peccato noli esse sine metu, neque adjicias peccatum super peccatum.*

2<sup>o</sup>. Viri sanctissimi idem testantur in Scriptura. Job. 9. v. 20. *Si justificare me voluero, os meum condemnabit me: si innocentem ostendero, pravum me comprobabit: etiamsi simplex fuero, hoc ipsum ignorabit anima mea.* Item licet David Psal. 23. v. 11. canat: *In innocentia mea ingressus sum;* tamen Ps. 48. v. 13. quærit: *Delicta quis intelligit?* et tum precatur: *Ab occultis meis munda me, et ab alienis parce servo tuo.* Demum Paulus 1. ad Cor. 4. v. 4. et seq. ait: *Nihil mihi conscius sum; sed non in hoc justificatus sum: qui autem judicat me, Dominus est. Itaque nolite ante tempus judicare, quoadusque veniat Dominus, etc.*

3<sup>o</sup>. Principia alia in Scripturis pervulgata eandem veritatem inferunt; ejusmodi sunt, justificationem dependere a *certis conditionibus* ex parte nostra, de quarum maxime supernaturalitate certi esse non possumus; hominum actiones aut vitam non æstimandam judicio humano, sed divino; timorem ac sollicitudinem in universo salutis negotio esse salutarem, etc.

4<sup>o</sup>. Interpretatio PATRUM in textus supra laudatos, et alias etiam declarata sententia cum nostro asserto congruit, ut videre licet apud BELLARMIN. de Justif. L. 3. c. 7.

II. RATIONE. Non potest quid fide divina credi, nisi quod vel immediate continetur in verbo Dei, vel inde per evidentem consequentiam deducitur; quia *fides divina* niti debet auctoritate loquentis Dei: sed imprimis non continetur immediate in verbo Dei, hunc vel illum determinatum hominem esse justificatum; cum promissiones Scripturæ sint *universales*, et præterea conditiones aliquas exigant, ut singulis applicentur: deinde nemo per evidentem consequentiam ex verbo Dei deducere potest se esse justificatum.

Nam nisi adsit *specialis revelatio*, homini impossibile est per se cognoscere supernaturalitatem conversionis necessario requisitam; nec conversionis veritas evidenter cognoscitur ab homine; partim quia, ut Jerem. 17. v. 9. ait, *pravum est cor omnium et inscrutabile: quis cognoscet illud?* partim quia plures etiam circa animi sui sensum falluntur, ut patuit in S. Petro, dum se paratum diceret in carcerem et mortem ire, et in S. Paulo, qui spirans minarum in Christianos putavit se charitate Dei flagrare: tum quia et ipsa signa veræ conversionis et gratiæ jam obtentæ possunt esse fallacia; qualia sunt fides, quæ montes transfert, facultatum in pauperes distributio, traditio corporis sui, ut ardeat; ut ex 1. ad Cor. 13. manifestum est; ergo.

Prob. 2<sup>o</sup>. p. Tum ex intolerabili absurdo, quod inde sequeretur, nempe omni

et quocumque peccato mortali veram fidem excuti, eo quod fides justificans amittatur; adeoque omnem peccatorem simul esse hæreticum, et cum hæretico extra Ecclesiam sit, etiam non pertinere ad veram Christi Ecclesiam, qui *Donatistarum* error erat: tum ex inutilitate vel potius gravissima *noxâ*; quandoquidem hæc certitudo foret radix superbiæ, causa torporis et occasio licentiæ: tum ex repugnante *experientia*, quia Hæreticorum plures et diversæ sectæ hanc fidei certitudinem conantur sibi tribuere; quorum tamen aliquos falli necesse est, imo omnes errare secundum principia fidei hactenus exposita omnino sequitur.

433. *Obj.* Scriptura docet nos habere certam cognitionem fidei de nostra justificatione; nam Joann. 14. v. 17. de Spiritu sancto dicit: *Vos cognoscetis eum, quia apud vos manebit, et in vobis erit*; et v. 20. *In illo die cognoscetis, quia ego sum in Patre meo, et vos in me, et ego in vobis*. Ad Rom. 5. v. 1. *Justificati ergo ex fide pacem habeamus ad Deum*; et c. 8. v. 16. *Ipsè Spiritus testimonium reddit spiritui nostro, quod sumus filii Dei*. A. Joann. 4. v. 13. *In hoc cognoscimus, quoniam in eo manemus, et ipse in nobis: quoniam de Spiritu suo dedit nobis*; et c. 5. v. 19. *Scimus, quoniam ex Deo sumus, et mundus totus in maligno positus est*.

R. Quoad 1<sup>um</sup>. *N. Ass.* Textum primum explico sub distinctione: cognoscetis Spiritum sanctum esse et existere, ejusque divinitatem, ut *CYRILL.*, *AUG.* et alii *PATRES* communius exponunt *C.* Spiritum sanctum esse in vobis per gratiam *subd.* in vobis, per hoc intelligendo communitatem et Ecclesiam *C.* intelligendo singulas aut determinatas personas, et quidem non conjecturaliter tantum, sed certitudine fidei cognoscetis *N.*

Eodem modo explicatur textus secundus, nisi eum quis intelligere velit cum quibusdam de adventu Spiritus sancti supra Apostolos in *die Pentecostes*; sed tunc admittendum erit, Apostolos de sui sanctificatione habuisse specialem revelationem.

Tertius textus plane non est ad rem; tum quia continet duntaxat admonitionem ad conservationem gratiæ, non vero affirmationem: tum quia non de gratiæ notitia, sed de ipsa solum gratia loquitur.

De quarto alibi diximus, ibidem asseri quidem testimonium Spiritus sancti quoad se, non autem quoad nos et nostram cognitionem; aut si quidem etiam posterius detur, hanc cognitionem tantum esse *conjecturalem* et *conditionatam*, non autem absolutam et fidei perfectione consummatam, quod confirmatur; tum quia ad litteram sermo non est de testimonio per revelationem et locutionem, sed per operationem et inspirationem ad orandum: tum quia hæc testificatio non est Spiritus inhabitantis, sed moventis, unde juxta *S. AUG.* serm. de verb. Apost. pertinet etiam ad peccatores, qui sunt filii Dei potentia, quatenus qui credunt, acceperunt potestatem filii Dei fieri.

Quod verba Joannis in textu quinto et sexto attinet, tum ex integris Capitibus, tum ex posteriore testimonio liquet, ea referenda esse non ad singulas personas, sed ad communitatem et Ecclesiam Christi, cujus unius privilegium est esse infallibilem et sanctam, atque hinc Spiritum sanctum habere dirigentem ac inhabitantem. Si quis tamen ea ad singulos referenda putet, non aliam inde cognitionem, quam *conjecturalem* et scientiam in vulgi sensu demonstrabit.

*Inst. 1.* Eadem docet, quod possimus certo cognoscere, dispositiones ad justificationem requisitas penes nos esse; quia Luc. 17. v. 10. dicitur: *Cum feceritis omnia, quæ præcepta sunt vobis; dicite: servi inutiles sumus, quod debuimus facere, fecimus*. Et 1. ad Cor. 11. v. 28. *Probet autem seipsum homo, et sic de pane illo edat*; ergo.

R. *N. Ass.* Neque textus allati probant certitudinem fidei, sed *conjecturalem* duntaxat cognitionem, aut eam, quæ subjacet falso, quamvis a culpa excusare queat: ut enim quis existimare possit omnia præcepta a se servata, seque ipsum probet, sufficit *bona fides*, quin sic remorsus conscientiæ de negligentia aliqua in servandis præceptis sui que probatione habeatur.

*Inst. 2.* Sancti *PATRES*, præterquam quod loquantur vel de certitudine status veræ religionis, vel fidei, vel de certitudine spei, vel de certitudine fidei circa veritates catholicas in genere, aut particularem illam, quod vere pœnitentibus detur gratia, vel de certitudine qualicumque et minus stricta, ut videre est apud *Bellarm.* L. 3. de Justif. c. 11.; etiam asserunt haberi posse certitudinem fidei de propria sanctitate et justitia.

Nam *CYRILL.* L. 10. in Joann. de specialibus Dei amicis inquit (opp. t. 4. p. 850. D.): *Quicumque vero per omne virtutis genus suam mentem illustrant, et ad discenda divina et arcana mysteria sunt idonei, illustrationem Spiritus accipient, ipsumque in semetipsis inhabitantem Dominum mentis oculis intuebantur*; et *CYPR.* de Cæn. Dom. (opp. p. 331. edit. Rigalt. Paris, 1666.) de anima rite communicante ait: *Se sanātam et sanctificatam agnoscens, fletibus se abluat et lacrymis se baptizat*. *AUG.* serm. 28. de verb. Domini (al. in app. serm. 84. n. 1.) dicit: *Prædicare quod acceperis, non est superbia sed devotio*; et de verbis Apost. serm. (al. serm. 153. n. 14.): *Ecce, adjuvante ipsius misericordia, spiritum Christi habemus, ex ipsa dilectione justitiæ, integra fide, catholica fide, Spiritum Dei nobis inesse cognoscimus*. *BERN.* serm. 1. de annunt. n. 3. ait: *Si credis peccatum tua non posse deleri, nisi ab eo, cui soli peccasti, et in quem peccatum non cadit, bene facis: sed adde, ut et hoc credas, quia per ipsum tibi peccata donantur*; ergo.

R. *N. Ass. et prob.* *CYRILLUS* vel intelligendus est de cognitione Spiritus sancti per effectus, ex quibus quis conjicit habitationem ejusdem: vel de dono sapientiæ justis omnibus non communi, minore tamen, quam sit fidei certitudo: vel de evidentia in ratione credibilis, non autem ipsius veritatis cognitiæ: in nullo autem sensu nobis est contrarius.

*CYPRIANUS* vel loquitur de efficacia Sacramenti ex parte sui, ut præcedentia insinuant; vel si loquitur de efficacia in sanctificatione in nobis recepta; agnitionem experimentalem et ex effectibus conjectatam tantum insinuat.

*AUG.* loco priore fidem commemorat, non qua certus quis est de dono accepto, sed qua Deum auctorem fatetur doni, quod vel credit, vel opinatur; vel scit sibi datum: in posteriore loco vel agit de fide generali, qua Spiritum sanctum in Christianis universim esse credimus, vel si de fide particulari loquitur, eam pro conjectura usurpat, quæ in delectatione justitiæ, h. e. internis Spiritus sancti effectibus fundatur.

*BERNARDUS* docet equidem credendum, quod a Christo peccata possint donari, et per Christum reipsa donentur: sed hoc est dogma universale, nec

de propria alicujus particularis justitia enunciatum fuit; quia de hac postmodum subjungitur, quomodo signis et conjecturis agnoscatur.

*Inst. 3.* Dantur ratiocinia, quorum *propositio* est universalis revelata; *assumptio* est physice vel moraliter evidens, et *conclusio* est legitima, infertque hominem determinatum esse justificatum; ergo. *Prob. Ant.* Ejusmodi sunt 1<sup>um</sup>. Qui sacramentum baptismatis rite suscipit, justificatur: sed potest quis esse physice vel moraliter certus tam ex parte ipsius materiae et formae, quam ex parte ministri et sui tanquam subjecti, baptismum a se esse rite susceptum; ergo. 2<sup>um</sup>. Qui longo tempore non peccat mortaliter, est in gratia Dei: sed potest quis certo experimento novisse, se non peccasse mortaliter; ergo.

R. N. A. *Ad prob.* In utroque ratiocinio negatur assumptio; de prima quidem constat ex dictis in postrema theses assertionem: de secunda docent exempla Jobi, Davidis et Pauli ibidem relata.

### CAPUT III.

#### DE MERITO.

*Meriti* nomen affectionem quamdam actibus humanis, vel alterius creaturae rationalis operibus propriam significat, cui merces vel retributio correspondet; quae quidem retributio tam in partem malam et pro supplicio, quam in bonam partem et pro praemio accipi potest; usu tamen a Theologis jam diu receptum est, ut *meritum* simpliciter dictum in bonam partem et pro merito praemii sumatur; acceptum autem in malam partem vocetur *demeritum*, vel meritum cum addito, malum, aut supplicii. Sic vero meritum *generatim* sumptum describi potest opus dignum praemio, dignitas praemii, vel valor operis, propter quem debetur boni cujusdam retributio.

Dividi *universim* solet ratione praemiatoris in meritum apud hominem, et in meritum apud Deum; ratione praemii in meritum naturale, et in supernaturale vel theologicum; hoc vero ulterius distinguitur in meritum *de condigno* et in meritum *de congruo*; prius meritum simpliciter dicitur et ex justitia, seu cui ex justitia, sive ea rigorosa sit et stricta, sive minus stricta, praemium debetur: posterius etiam meritum secundum quid et ex congruentia appellatur, seu cui praemium ex quadam decentia debetur.

#### ARTICULUS I.

##### QUAENAM CONDITIONES AD MERITUM THEOLOGICUM REQUIRANTUR.

434. *Nota I.* *Conditiones* ad meritum proprium constituendum universim repeti possunt vel ex parte ipsius operis meritorii, vel ex parte personae merentis, vel ex parte personae remunerantis. Praecipua difficultas circa conditiones illas versatur, quae se ex parte ipsius operis meritorii tenent.

Conveniunt quidem facile omnes 1<sup>o</sup>. quod meritum debeat esse actus positivus. 2<sup>o</sup>. Actus in obsequium Dei praestitus; quia sine eo potest quidem opus esse laude, non autem praemio dignum. 3<sup>o</sup>. Quod etiam cedere debeat in commodum vel emolumentum Dei, si quidem per illud intelligatur commodum extrinsecum, gloria nempe, laus, et hujusmodi similia; cum haec operibus humanis respectu Dei tribuat ipse Christus Matth. 5. v. 16. dicens: *Luceat lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona, et glorificent Patrem vestrum, qui in caelis est*: non vero si intelligatur aliquid Deum intrinsece afficiens; quia sicut Job. 35. v. 6. dicitur: *Si peccaveris, quid ei nocebis? et si multiplicatae fuerint iniquitates tuae, quid facies contra eum?* ita mox v. 7. additur: *Porro si juste egeris, quid donabis ei, aut quid de manu tua accipiet?*

435. *Nota II.* Discrepant vero Catholici ab haereticis, quorum aliqui minus, alii plus ad meritum exigunt, quam re ipsa necessarium sit. Ad primam classem pertinent *Janseniani*, quibus libertas a coactione; *Pelagiani*, quibus bonitas naturalis; *Semipelagiani*, quibus existentia conditionata duntaxat videbatur sufficere ad meritum. Ad secundam spectant *Lutherani* et *Calviniani*, qui ultra conditiones vulgo assignari solitas exigunt, ut opus meritorium sit prorsus indebitum, penitus nostrum, et nulla ratione praemiatoris, ac omnino aequale cum mercede. Equidem nonnulla etiam est discrepantia inter ipsos *Catholicos*, maxime circa charitatem, quam quidam quasi radicem omnis meriti exigunt; sed haec controversia salva fidei integritate, alibi tractatur.

436. *Dico I.* Universim ad meritum theologicum requiritur EX PARTE OPERIS MERITORII, ut sit actus creaturae rationalis 1<sup>o</sup>. quidem liber a necessitate, 2<sup>o</sup>. moraliter bonus, 3<sup>o</sup>. supernaturalis seu ex auxilio gratiae procedens, 4<sup>o</sup>. in aliqua temporis differentia absolute existens; EX PARTE PERSONAE MERENTIS, ut, qui meretur, sit viator; EX PARTE DEI REMUNERANTIS, ut adsit ordinatio divina meriti ad mercedem saltem consequens, seu talis, qua opus acceptetur in meritum actuale et efficax determinati praemii.

*Pars I.* Quoad 1<sup>am</sup>. conditionem constat tum ex verbis Eccli. 31. v. 10. *Qui potuit transgredi, et non est transgressus; facere mala, et non fecit: ideo stabilita sunt bona illius in Domino*: tum ex definitione TRID. Sess. 6. Can. 4. ac condemnatione propositionis tertiae Jansenii: tum ex S. AUG. L. de nat. et gr. c. 65. : *quod ait (Pelagius) a memorato dictum esse presbytero (Hieronymo), Liberi arbitrii nos condidit Deus, nec ad virtutem, nec ad vitia necessitate trahimur; alioquin ubi necessitas, nec corona est, quis non agnoscat? quis non toto corde suscipiat? quis aliter conditam humanam neget esse naturam?* tum ex *ratione*, quae docet nihil posse imputari ad meritum, quod non est sub potestate et electione operantis.

Quoad 2<sup>am</sup>. rursus constat tum ex verbis Genes. 4. v. 7. *Nonne, si bene egeris, recipies: sin autem male, statim in foribus peccatum aderit?* tum ex TRID. Sess. 6. cap. 16., ubi ad versum 58. ex 1. ad Cor. 15. provocat, et aliquoties repetit *bona opera* esse, quae apud Deum merentur: tum ex *ratione*, quae docet *malum* opus utpote poena dignum non esse meritum; *indifferens* autem opus non esse meritum potius, quam demeritum, nec afferre Deo